

Sed manum de Tabulâ ; dies mihi deficeret, priusquam desiderium tecum loquendi. Devota officia dicas venerando fratri tuo, artis nostræ seniori. Det ipsi Deus T. O. tranquillam viridemque senectam. Cum redierit junior frater quæso ipsi dicas mox mea officia et vota pro ejus felicitate.

BOTANICO SUMMO
DD: BERNH. DE JUSSIEU,
BENEFACITORI COLENDISSIMO,
S. PI. D.
CAR. LINNÆUS.

QUAMVIS nihil habeat pauper, quod non ditissimus possideat, attamen ut tester gratissimum meum animum, mitto hæc quæ præterito anno, reduce ex Canadâ Kalmio, accepi semina; nomina adposuit Hortulanus ea, sub quibus nobis tradita fuere. Spero quod hæc quæ ad hortum spectant non solvantur a Tuo ærario, sed ab horti; sin minus ea nunquam ausus fuisse mittere. Hac datâ occasione a Te mihi veniam expeto interrogandi de plantis quæ mihi maximum facessere negotium, et quum habeam modo unicum ad manus, eamque a Te missam, hæreo de reliquis. Sunt hæ:

a. Hibiscus inermis foliis serratis: inferioribus ovatis integris, superioribus trilobis. Hort. Cliff. 350 cum synonymis Fl. Zeyl. 262.

β. Hibiscus inermis, foliis serratis: infimis indivisis: mediis bipartitis: summis quinquepartitis. Roy. Lugdb. 359.

γ. Hibiscus foliis palmato-digitatis quinquepartitis: laciniis lanceolatis; caule aculeato. Fl. Zeyl. 268.

δ. Alcea benghalensis spinosissima, acetosæ sapore. Comm. Hort. 1. p. 35. t. 18.

Me quæso instruas num hæ quatuor inter se sint satis distinctæ, an eadem et tantum varietates.* Vel si diversæ quibus notis distinguendæ? Mihi videntur multam habere affinitatem, nec notæ a me datae dum olim eas videram mihi ipsi sufficient.

Servet te Deus T. O. in Rei botanices ornamentum et sustentationem; mea officia dicas venerando parenti tuo, artis amabilis Seniori et Botanicorum antesignano; nec-

* Easdem ipse distinxit, quæ sunt: *Hibiscus Sabdarifa*, α et β ; *Cannabinus*; *Surattensis*. L. Sp.
VOL. V. NEW SERIES.